



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari  
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1542**

**VD16 C 4714**

XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35748**

PRÆCIPVI.

XI.

De Pœnitentia docent, quod lapsis post bap-  
tismum contingere possit remissio peccatorum,  
quocunq; tempore, cum cõuertuntur. Et quod Ec-  
clesia talibus redeuntibus ad Pœnitentiam, imper-  
tire absolutionem debeat.

Constat autem Pœnitentia, hoc est, conuersio  
impij, proprie his duabus partibus. Altera est con-  
tritio, hoc est terrores incusi conscientie agnito  
peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & do-  
lemus nos peccasse, & peccata detestamur ac fu-  
gimus. Sicut Ioel concionatur. Scindite corda ue-  
stra, & non uestimenta uestra, & conuertimini  
ad Dominum Deum uestrum, &c. Altera pars  
est fides, quæ concipitur ex Euangelio seu Abso-  
lutione, & credit propter Christum certo remitti  
peccata & consolatur conscientiam, & ex terro-  
ribus liberat, de qua fide Paulus loquitur, cum  
ait, Iustificati fide pacem habemus. Deinde se-  
qui debent boni fructus pœnitentie, hoc est obe-  
dientia erga Deum, iuxta illud. Debitores sumus  
non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim  
secundum carnem uiuetis, moriemini. Sed si spiri-  
tu actiones corporis mortificabitis, uiuetis.

b iiij

Dei



## ARTICVLI FIDEI

Damnans Nouatianos, qui nolebant absol-  
uere eos qui lapsi post baptismū, redibant ad pœ-  
nitentiam.

Damnans & illos, qui non docent remissionē  
peccatorum per fidem gratis propter Christum  
contingere. Sed contendunt remissionem pecca-  
torum contingere propter dignitatem contritio-  
nis, dilectionis, aut aliorum operum, & iubent  
dubitare conscientias in pœnitētia, an consequan-  
tur remissionem, & affirmant hanc dubitationem  
non esse peccatum.

Damnans & istos, qui Canonicas satisfactio-  
nes docent necessarias esse ad redimendas pœnas  
æternas aut pœnas purgatorij, & si fatemur bonis  
operibus mitigari presentes calamitates, sicut Esa-  
ias docet, Capite 58. Frange esurienti panem tu-  
um, &c. Et requiem tibi dabit Dominus semper.

Damnans & Anabaptistas, qui negant semel  
iustificatos, iterum posse amittere spiritum sanctū.  
Damnans & illos, qui contendunt aliquibus tan-  
tam perfectionem in hac uita contingere, ut ne  
quidem possint iterum peccare.

De